





1678.

1. Bohn, Johannes, Fac. med. pro-cancellarius: Programm,
quod iuribus et actum solemnem Johannem Fridricum Hligeri.
2. Borrius, Tobias, Fac. jur. pro-cancellarius: Programm,
quod actum solemnem presentationis seu caudatorum
juris iuris et ad eundem . . . iuribus
3. Carporius, Augustus Benedictus: De jure aggratiandi
4. Carporius, Augustus Benedictus: De remedio
5. Carporius, Augustus Benedictus: De jure boni audi.
- 6^a, 6^b, 6^c Carporius, Augustus Benedictus: De proceperis
iuribus privilegio 3 Sampl. 1678 ? 1718
7. Carporius, Augustus Benedictus: De blasphemia.
8. Carporius, Augustus Benedictus: De bonis uxorum
receptitiis
9. Camerus, Martinus Zacharias: De eo, qui est
in diem fortunam pervenit

10^{a, b, c}
= Eckholdt, Herman : De Uteris incarcerationis
patientibus s. arrestatoribus 3 Junii 1678, 1702
2 1741.

11. Elmulerus, Michael : De uretro orae vulgaris
suppositiva spermatis ceti larva detectato.

12. Fresenleben, Joh. Bartholom : De ludis.

13. Gieslerus, Fridr : De suspensione rei in criminali-

bus.

14. Gieslerus, Fridr : De civitatibus municipalibus in

Imperio Romano-Germanico.

15. Giesler, Fridr : De juramentis.

16. Gieslerus, Fridr : De civitatibus Imperialibus caeteris

juribus.

17. Hahn, Joh. Georgius : De Electoratu Pravorum
bellicorum

18. Heimerl, Daniel Joseph : De consensu ad actum

validitatem necessario

1678

19. Flüg, Gorpheus Nicolaus : De officii in favorem
terti^o resignatione

118

10

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

11

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

12

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

13

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

14

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

15

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

16

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

17

Faint handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

18



10.

D. JOHANNES *Bohn!*
ANAT. & CHIRURG. PROF. PUBL.

et

p. t.

1678, 1

FACULTATIS MEDICÆ
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PROCANCELLARIUS

L. S. D.

de
Experimentis anatomicis
intempere admissis incaute uoluntatis
et incongrue applicatis.

H. Licent. foll





I. N. F.



Xperientiam, quam virgulæ divinatoriæ ad instar abditis naturæ mineris detegendis ac eruendis inservire, hinc artibus pariendis & formandis obstetricari, omnes nunc asserunt, quibus in his docendis non tam suum ingenium & facundiam testari, quam eruditionem propriam pariter ac aliorum augere animus est, præsentis quoque & præcedentis seculi studio anatomico splendorem illum decrevisse, quo fatum tredecim superiorum longè antecellit, observamus. Sc. quod proluxa illa annorum series, quæ conatus temporum posteriorum Galeni administrationibus Anatomicis continuos reddidit, Arti Secandi incrementum præstare haud poterat, bina ultima secula præstiterunt, potissimum, quod nos colimus: utpote quod de tanta inventorum Anatomicorum ubertate gloriari jure potest, quantam ulla aliàs Medicinæ Physiologicæ ætas experta fuit. Causam disparis hujus successus si expetas, non sanè in rei investigandæ dispari conditione, quæ eadem semper fuit, nec in ingeniorum defectu, quem genius illorum scriptorum diffitetur, sed in diversa saltem philosophandi negotiumque tractandi ratione, hanc consistere, in propatulo est: Quatenus superiorum temporum Anatomici Hippocratis, Galeni, Ruffi Ephesii, Sorani, Oribasii &c. scriptis tantùm legendis, explicandis & conciliandis se applicabant, atque ex his, quæ ipsis sæpius haud inerant, quæque, si propriis oculis & manibus non omnem fidem derogassent

sent, sine illorum lectione citius & facilius forsan deprehen-
dissent, elicere satagebant; dum nostra ætas non tam in com-
mentariis illis verbosis, quàm manuum operationibus & expe-
rimentorum repetita atque infinita ferè administratione, de-
sudat, adeoque laborum priorum non tantum spicilegia
frequentiora, sed messes plenas atque uberrimas, metat. Ve-
rùm utut Experimentiæ quàm maximè rejuvenescens nostra
Anatome augmentum suum singulare in acceptis referre de-
beat: in experimentis nihilominus admittendis prudentiã
haud vulgari & circumspecto satis moderamine opus videtur,
nisi periculum illud Hippocraticum de nostris quoque expe-
rimentis prædicari, ac per eadem aliis æquè ac nobismet ipsis
imponere velimus. Tali præprimis tempore, ubi tantum sibi
apud plures placendi studium est, ut ferè quilibet nova expe-
rimenta crepet, atque his, non dicam paradoxa, sed impossi-
bilia & ipsi naturæ vim inferentia, statuminare vanamque cu-
riositatis & perspicacitatis cujusdam gloriolam ac Experimen-
tissimi Medici aut Anatomici titulum præcipite nimis cona-
mine comparare audet, nihil tamen pro veritatis limitibus
ampliandis confert. Hoc quippe est, quod *Nobilissimus Boyle de
Vi aëris elast.* (qui nihilominus tractatus integer experimen-
torum concatenata quædam congeries est) pro more suo, i. e.
prudentissimè, annotavit his verbis: *Adeò faciles etiam per ex-
perimenta in errorum devia seducimur, dum vel non advertimus,
plurima effecta à diversis causis produci posse; vel ad illas tantum
experimenti nostri circumstantias intendimus, quæ præconceptis
nostris conjecturis adblandiri atque hypotesi nostræ favere viden-
tur.* Imò *Idem* Famigeratissimus Scriptor in peculiari opu-
sculo, *de infido experimentorum successu* exarato hujus sui effati
argumenta diversa suggerit, quæ ex illo repetere uti haud dif-
ficile, ita inutile, nunc negocium foret. Mihi in præsentiarum
sufficiet comprobare, plurima hæctenus experimenta anato-
mica per improvidam credulitatem intempestivè fuisse admis-
sa sive approbata, plurima incaute adornata atque observata,
misp

& plurima tandem incongruè applicata: ex quibus planum factis fiet, ab empiricis ejusmodi hominibus, resplendenti hactenus Physiologiae umbram crassam satis fuisse prætentam, ac metuendum fore, ni gestilationes eorum maturò satis fræno temperentur, ne barbariem tandem ipsorum ausus ulteriores arti huic nobilissimæ inducant. Ita profectò Helmontii scripta maxima tantùm non omnibus œconomiae animalis scrutatoribus præjudicia formarunt, ut illius assertis atque experimentis venditatis adeò obstinatam fidem jurarint, quæ de aciditate humoris ventriculi fermentalis ne quidem ambigere ipsis permiserit: Cùm tamen illa aut non ens, aut ens præter naturam sit, quod post *Mœbium & Schockium* quemlibet lingua propria, modo huic non adeo delicatæ fluidum ventriculi vivorum & jejunorum animalium admoveere non fastidiat, docebit. In canum siquidem, qui viginti quatuor horarum in ediam passi fuerant, sectorum ventriculis offendi cum aliis humorem limpidum atque fluidum satis, in quo tamen nemicam quidem acidi degustare, nec, licet alcali fixum pariter ac volatile ipsi affunderemus, ex ebullitione aut præcipitatione (utpote quarum nulla contingebat) concludere potuimus: Econtra nostrum singulis videbatur fluidum illud insipidum, in uno subjecto levioere, in altero manifestiore, falsedine tinctus; uno verbo serum sanguinis secundum naturam se habens æmulabatur. Pancreatico succo aciditatem pariter affinxerunt e quidem *Graëf & Schuyl*, qui hujus indoli & usui declarando hactenus vacarunt, imò huic, tanquam firmissimis antibus, totam penè physiologiae & pathologiae superstruxerunt ædificium, contradicentibus quamvis acriter satis *Needhamo de formato fetu*, *Lowero de Corde*, *Betto de ortu & natura sangv. ac Clarissimo Pechlino de purgant*. Sicut & nobis experientia sensualis manifestavit aut falsam *Graëfii & Schuyl* linguam, aut morbosum fuisse, quem illa degustarat, pancreaticum succum; nam fallendi animum ipsis decernere, eorum in investigando alacritas & in communicando ingenuitas, alias nota, vetat. Nunquam

quam enim, nec in ullo eorum, quot hujus controversiæ causa aperuimus, subjectorum caninorum illum acorem, multò minus humoris hujus cum bile effervescentiam deprehendere nobis licuit: observavimus potius illum in hoc animalium genere semper falsum & instar totius corporis lymphæ se habentem; hinc probabiliter satis in reliquis talem suspicamur, cum eundem usum omnibus præstet, adeoque eadem textura & ex in emanantibus potentiis opus habeat. Denique quibus controversia illa circa substantialem aëris inspirati ad massam sanguineam transitum innotescit, hos nec latere poterit, quod *Sylvius & Schwammerdamius* pro affirmativa illius urgent, experimentum: Sc. aërem pulmonis adhuc calentis asperæ arteriæ, mediante folle, immissum, ac lente diuque intra illius substantiam pressum, tandem in arteriam & venam pulmonalem ac utrumque cordis ventriculum transire. Speciosum satis hoc videtur illis, quorum semel arreptam sententiam comprobant; à præjudiciis tamen liber & manum operi admovens falsum illud cum *Highboro* pronuntiabit: progreditur equidem post repetitas aëris insufflationes sanguis, antea nigricans & venosus per quæ similis, ex vena pulmonali spumosus & splendoris coccinei sive arteriosus; nullum tamen aëris transpirantis apparet vestigium. Atque hi credulitatis superstitiosæ erant fructus, quam vel servilis admodum præceptorum admiratio, vel operationum anatomicarum fastidium, vel (scapham scapham dicam) segnities nostra peperit; ita ut ex aliorum mente sæpè falsa locuti fuerimus, qui dogmata ejusmodi propagavimus. Ad illos nunc me conferam, qui per majorum equidem asserta sapientiam omnem sibi adimi haud ferunt, sed propriis potius manibus atque oculis, quamvis minus circumspectè semper, utuntur, & in experimentis condendis minus cautos se gerunt, horum circumstantias cunctas vix decenter attendentes: De quibus *Celeberrimus Steno de vitell. in intest. pull. transit*: ita differit: *Ut Afros & credulos fallit terror, sic Anatomicis imponit latitiam, dum visum quoddam prima specie insolitum, conce-*

*pta opinioni favens, vel nova meditationi ansam porrigens, ad
evengna ingeminandum illos propellit, nullo ad accuratius examen
pramittendum concesso loco.* Hi siquidem, sive in aliorum ex-
perimentis tentandis, sive in propriis observationibus repe-
tendis, solliciti fuerint, valdè non rarò se deceptos deprehen-
dunt, modò errorem fateri quàm celare, malint; ita ut per
iteratam interdum antea visorum explorationem spem eorum
falli comperiantur. Hujus anatomicarum observationum in-
certitudinis causas quod attinet, eas non tam in objecto, nisi
forfan hujus statum p. n. cum naturali confundamus, quàm in
errore operatoris & observatoris latitare, probabile est: qui
pluribus imò infinitis modis committi valet, licet hos suffici-
enter enarrare forfan impossibile videatur; paucis ergò saltem
declarandis bina aut trina adaptabo Exempla. Diaphragma-
tis motum ambiguum satis autorum disparitas reddidit, eaq;
referente Plempio, aliquando adeò perversa, dicam, an ridicu-
la, quàm nec autopsia delere potuit. Convenerant siquidem
Ultrajecti ad Rhenum sex eruditi viri, rerum partim Medica-
rum, partim naturalium consulti, motum diaphragmatis in
vivo animali contemplaturi. Singuli attente satis eum in-
tuentur, rogati autem, quid de re ipsis hæcenus dubia nunc
sentiant, eorum tres, dissepimentum illud in inspiratione sur-
sum, in expiratione deorsum rapi, tres contraria ratione illud
moveri, ajunt: quorum an hi, an illi, veri & circumspecti obser-
vatores fuerint, non determinabo, quàmvis hos aut illos er-
rasse necessarium sit. Præterea quantum in observationibus
anatomicis administrandis temporis circumstantiæ momen-
tum sit, ejus neglectus, irritum laborem omnem non rarò red-
dens, nos credere jubet. Non fugere poterit illos, qui contro-
versis Physiologicis examinandis aliquid tantùm temporis
manciparunt, partium illarum diversitas, in quàm autores in
motu chyli & lymphæ determinando abierunt, ita ut *Bilsius,*
Everhardus aliique cum his succos illos ex receptaculo lum-
bari ad extrema atqve peripheriam, alii, & quidem plurimi,
retro-

retrogrado motu, id est à circumferentia ad nominatum centrum, ferri ad sanguinem usq; digladiati fuerint: quemadmodum *Everhardus* hoc inter alia, pro hypothese sua stabilienda, allegat, quod receptaculum dictum, chylo & lymphæ commune (in quod tamen vasa lactea cuncta terminari communiter docerent) super venam cavam canalem efformaret satis amplum, qui ad hujus divaricationis morem in propagines iliacas, lacteo succo refertas, abiret. Conformationem hanc autopsiæ conformem esse, per experientiam testor; imò lactea materia inferiorem hujus alvei partem nonnunquam repletam conspici: Ast irritas quoq; sæpius hunc in finem administrari sectiones, quotidie experimur; hinc hallucinationis hujus in natura aliquam occasionem dari, quæ cautis etiam non difficulter imponat, prudenter admodum *Needham* concludit, eamq; hanc satis probabilem suggerit. Truncum sc. descendentem chylo plenum reperiri in animalibus lacte aut jusculo saginatis & hora à pastu sesquiquinta apertis; illo nempe tempore, quo faeces cum succi nutritii residuo intestinum rectum accedunt, adeoq; per hujus vasa lactea, utpote inferius constituta, ad canalem illum hoc moveretur: quod temporis punctum si negligeretur, ambiguum dimitteret *Sectorem*. Refero huc officinam & motum bilis satis dubium, cui ut revera se habet explicando ac evincendo recentiorum inventa & experimenta cuncta insufficientia & minus adæqvata, sine ulla contradicendi libidine tamen, pronunciare nunc audeo. *Backius* atq; *Sylvius* cum *Helmontio* omnem bilem in folliculo fellis elaborari, hincq; partim per porum epaticum ad epar secedere, partim per ductum communem ad intestinum descendere asserunt: Quibus præter veterum Scholas *Needham*, *Pechlinus* & *Malpighius* contradicunt, utroq; in loco bilem confici ac ex utroq; ad duodenum devolvi, credentes. Argumenta eorum ponderosa valde sunt, pro *Backii* & *Sylvii* hypothese evertenda; sed propria, quoad cuncta membra, adstruendæ minus sufficiunt, utpote ratione nonnullarum circumstantiarum adhuc imperfecta:
cum

H. Licent. fol.

cùm stantibus illis dubitare liceat, an non secundum veteres bilis omnis in epate præparetur, hincqve per meatum cysticum ad folliculum primò devoluta, ac ex hoc demum, per eundẽ canalem ductum communẽ & intestina subeat? Non illum equidem me nunc polliceor, qvi ambiguitatem hanc in præsentiarũ & è vestigio tollere possit: hoc tamen modestiam *Clarissimi Malpighii* non ægrè laturam confido, si dixerò, eum in conformatione vasorum biliariorum hinc multò minus usu investigando atq; determinando, haud omne punctum tulisse. Nempe in epate bubulo superioribus mensibus biliariorum canalium tres vidi majores, binos ex epate emergentes, & unum cysticum, qvi cuncti in truncum cholodochum intestinale coalescebant. Cysticus de se spargebat ramos plurimos, & ni fallor eorum ultra duodecim, non omnes equidem ejusdem magnitudinis, quorum tamen majores, epatis substantiã profundius immersi cum epaticorum ductuum altero communicabant; quod flatus per cysticum immissus & per epaticum denuò egrediens, in majoribus his intermediis canalibus stylus penetrans, imò, separata paululum epatis substantiã ipse oculus manifestabat. Præter quos tamen cystici canalis ad epatis interiora tendentes ductus Glissonii quoq; illum duplicem observare contingebat, qvi postquam in simplicem truncum coaluerat, in anteriorem & in cervicem degenerantem folliculi partem obliquè inferebatur, stylum ex vesicula æq; ac ab extra, admittens: Imò duos adhuc similes meatus, licet minores, stilus ab interiore cystis biliaris immissus monstrare videbatur. De cætero flatus per ductum cysticum inspirati & vesiculam valdè distendentis portio per eandem viam sponte recedebat, ejus tamen notabilis quoqve pars manifestiores cum epatico poro communes tractus percurrebat & per hujus truncum egrediebatur: flaccidior autem vesicula, ut ut manu leviter comprimeretur, immissum spiritum per cysticum canalem haud revomebat, nisi cum fortior accederet ejus compressio. Plura hac occasione observata, hincqve elicienda, alterius occasionis sunt: adductæ si-
qvi-

quidem circumstantiæ scopum meum, de infido experimentorum
anatomicorum successu ex parte observatoris, jamdum feriuut;
cujus tamen generis adhuc erit unicum illud, quod sequitur, & quod
minus exercitatis aut cautis facile imponere posset. Lactis materi-
am mammis per vasa rorifera, seu peculiaria lactea, adduci Bilsius
& Everhardus docent, autopsiam testem vocantes, quæ in cunicu-
lo vasa chyli supra musculos abdominis decurrētia & in mam-
marum glandulosam substantiā insinuantia ipsis monstravit: quod
equividē, si hora una vel altera post partum administrationi anatomi-
cæ quis se applicet, observabit, fallatur tamen qui ulterius hujus ne-
gotii examen detrectat. Vasa siquidem illa sub lacteorum advehenti-
um candore apparentia lymphaticis auferentibus annumerari de-
bere, antea neglecta, nunc applicata, comprobabit ligatura: intra
quam & mammæ hæc intumescunt, subsident autem & visum ferè
fugiunt pone vinculum ac abdomen versus; hinc à mammis potius
lymphaticorum aliorum more abducunt. Quod verò lacteum con-
cernit colorem intra vasa hæc fluctuantis lymphæ, illum tunc tem-
poris saltem conspicias, dum crudior adhuc per totum corpus flu-
ctuat chylus, i.e. ubi ejus distributio per vasa sangvifera modo fuit
inchoata, hinc lymphæ limpidæ magis pellucidas & consistentia,
immutata, post horæ tamen circiter spacium eadem pristinam in-
duet formam, uti in toto, sic in vasis quoque his mammariis: Sicut e-
nim serum cum sangvine intra hujus vasa agitatum sub tempore di-
stributionis chyli magis lactescit; ita idem, ab illo secretum & per
vasa lymphatica motum lacteum magis conspicitur. Ejusdem con-
ditionis & fallax satis phænomenon est, quod in cane, quem in Col-
legio privato ante biennium evolutioni & demonstrationi vasorum
lymphaticorum descendentium & ductus thoracici destinaveram,
primò cum admiratione vidi: Sc. in hoc quinta post partum hora
apertò vasa lactea cum receptaculo lumbari & ductu thoracico e-
gregiè turgescabant; quibus relictis, spirante adhuc animali, colli
integumenta removeo, ac sternum cum superioribus adhuc cohæ-
rens secerno; uno verbo, cuncta ita præparo, ut venas jugulares &
subclaviam sinistri lateris alam versus filo excipere, minores autem
ad eandem subclaviam tendentes ramos præscindere mihi liceret:

B

qui-

Dr
el

qvibus peractis moribundi animalis venæ subclaviæ omni sanguine
vacuæ aliud adhuc vinculum cordi propius, injicio, ipsam canalis
thoracici & lymphaticorum jugularium insertionem commodius
& manifestius demonstraturus. Mitto E. hæc ac ad lymphatica infe-
riora & abdomen conscendentia me paululum converto. In qvibus
qvia operatio minus feliciter succedebat, vix elapso dimidiæ horæ
spaciolo, superiora denuò inviso, ubi venam non saltem subclavia
chylo splendentem deprehendo, sed monitus ad abstantium quodā
vasculorum lymphaticorum jugularium unum lacteum planè, ad
ramificationem ejus usq; conspicio. Bilsii de motu roris hypothesin
per hoc phænomenon forsan defendi posse, spectatoribq; meis pro-
pono: mox tamen causam hujus paradoxii iisdem explico, chylum
ad subclaviam depositum lymphatici ad huic implantati valvulam
laxatam perreptasse; imo in hac sententia me & illos confirma-
bam, dum soluto vinculo, quod eidem venæ propè cor applicaram
chylum hanc & lymphaticum vas deserebat. Atque hæc & si-
milia sunt, quæ minus exercitatum profectorem aut non adeò
perspicacem spectatorem egregie fallere & multis, iisque crassis
interdum, erroribus axiomaticè satis condendis occasionem
suppeditare valent: præprimis si suæ semel arreptæ sententiæ eā-
dem incongruè quis applicet; quod tertium empiricæ Anato-
miæ vitium observo. Non rarò siquidem contingit, ut, quæ reve-
ra talia existunt, phænomena, quacunque etiam dexteritate exami-
nentur, falsum nihilominus consequentiam post se trahant: ita ut
nihil frequentius sit, quam inconcinna ratiocinia ex veris experi-
mentis necti; quod erroris genus non tam manum & oculum,
quam mentem, Anatomici pro parente agnoscit. Ita *Sylvius* v. g.
cùm flatum poro epatico immissum ad illius ramos, epatis compa-
gem & venam cavum penetrare observaret, per eandem viam bi-
lem quoq; ferri sibi persuadet; cùm tamen eadem hujus argumen-
ti consequentia sit, ac illius, si quis propter flatum ureteri immis-
sum & pelvim renis subeuntem urinam motu naturali sursum ten-
dere concluderet. Similis energiæ sunt, quæ pro chyli per venas
mesaraicas rubras ad epar deductione ex observatis quibusdam
formantur ratiocinia, v. g. sanguinem ex mesenterico ejusmodi
ramo

ramo effusum odorem & saporem croci similiumque præ se ferre; item chylum ex eodem discisso cum sanguine distincto quasi rivulo promanare. Dubitare siquidem primò licebit, an odor atque sapor assumptorum, imò ipse chylus, huic sanguini confusus ad venas illas immediatè ex intestinorum cavo, an interveniente demum arteriâ mesenterica & illorum tunicacea substantia, depositus fuerit, cum ex venis jugularibus cruralibus &c. eodem post assumpta alimenta tempore apertis chylo lacteo aut qualitatibus assumptorum imbutus sanguis pariter educatur? Deinde poterat ille fluxus chylosus accidere non propter venam apertam, sed vas lacteum simul discissum. Aut tandem quantum robur inest argumentò quo cordis sanguificandi munus firmare fatagunt, scilicet omnem chylum hujus sinibus infundi? vel quantum illi, quo idem eliciunt conclusum, nempe sanguinem venosum nigricantem, crassum &c. ejusdem ventriculo dextro adferri, ex sinistro autem purpureum, floridum & spumofum ad arterias propelli, hinc necessariò in his, tanquam spiritum vitalium foco, novas vires novumque splendorem recipere? Ast tædium pariunt hæc mihi, tædium sine dubio Lectori quoque pariam, si in ejusmodi stramineis connexionibus recensendis prolixior fuero, de cujus tamen assensu circa enarrata haud ambigo: potius nunc ipsi commendo Nostrum Licentiam ambientem & in publicum producendum Candidatum. Est hic Vir juvenis Nobilissimus atque Clarissimus.

Dn. M. JOHANNES FRIDERICUS ITTIGIUS,
Lipsiensis, Medicinæ Baccalaureus & Personæ Illustrissimæ *Comitis de Taube* Medicus.

qui Parente, propter merita in Academiam nostram satis adhuc conspicuo, natus Parentis quoque beati vestigia premere conatu æque arduo ac felici hætenus tentavit. Artibus siquidem liberalibus haud leviter imbutus Medicam quoque aggressus est, in cujus studiis singularem industriam per aliquot annos collocavit: ita quidem, ut postquam hanc nostræ pariter ac Rostochiensis Academiae sufficienter comprobarat, praxin aggredi decreverit, hincque ab *Illustrissimo*
Comi-

M. CCCC. IV. 400

Comite de Taube, Electoris Saxonie Consiliario intimo & Cancellario Eminentissimo, ut Medicus ordinarius vocatus hocq; munere nunc per triennium sub Gratia singulari Illustrissimi sui Comitis functus fuerit. Qua autem superiore anno à Facultate Nostra Baccalaureatum petiit, tunc temporis impetratum, eadem nunc Modestia Licentiatum & Gradum ambiit, hinc Examen rigorosum superioribus diebus cum Nostrum summo applausu expertus disputationem Inauguralem, de Temulentia, publicè defendendam in se suscepit, nihil eorum intermissurus, quæ erudianem in Medicina veram testari poterant. Huic E Candidati nostri desiderio honestissimo annuere visum fuit, ideoq; cras sc. III. Octobris, à me, quem Reverendissimus ac Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus CHRISTIANUS, Dux Saxonie Juliae, Clivia & Montium, Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae & utriusq; Lusatiae, Comes in Marca & Ravensberg, Dynasta in Ravenstein, Cancellarius Academiae hujus perpetuus, Dominus Noster Clementissimus; ad hunc actum Procancellarium quàm Clementissimæ constituit, unanimi Facultatis Nostrae Consensu, Ipse post peractam Disputationem Titulo & Privilegiis Licentiae, Gradum Doctoratus assumendi, in solenni Panegyri condecorabitur. Actum verò hunc Renunciationis publicæ ut illustriorem Nobiscum experiatur Dominus Licentiandus, Magnifici Academiae Rectoris, utriusque Reipublicæ Patrum conscriptorum ac civium, præprimis Artis nostræ Fautorum atqve Cultorum, officiosissimè rogo frequentissimam præsentiam, omnibus atqve singulis gratam mentem & reciprocam officiorum paratissimorum promptitudinem sanctissimè promittens. P. P. d. II. Octobris Anno M. DC. LXXVIII.

Literis HAHNIANIS.


TA-OL


ULB Halle 3
002 100 622



VD17







10.

JOHANNES Bohn/
T. & CHIRURG. PROF. PUBL.

&
p. t.

1678, 1

ACULTATIS MEDICÆ
ACADEMIA LIPSIENSI
PROCANCELLARIUS
L. S. D.

*de
Experimentis anatomicis
in pectore admissis; incaute uideruatis
in conyunctiva applicatis.*

H. Licent. Joll

